

In pyrenæo monte Laurenti, valleque Eynes. Radix equidem præmorsa crassa fibris longis obvallata, odora, obliquè sæpius defixa. Caulis cubitalis, basi coloratus, è medio ad apicem ramosus, striatus. Folia radicalia ovato-lanceolata, acuta, utrinque hirsuta, ad nervum præprimis, glutinosa, basi dentibus acutis majoribus sinuata (pro more Hier. pulmonariæ), flavescentia, etiam odora, ad apicem integerrima. Petioli latiores alati, pilis albis longis barbati, purpurascens, vaginantes. Folium unicum caulinum, cæteris multò latius majusque, in medio caule ex origine rami prioris, cordatum, amplexicaule, basi denticulatum, & ferè hamatum. Folia ramea integra oblonga vix semi-amplexicaulia. Rami corymbosi pauciflori. Pedunculi uniflori, pube cinerea pilisque globuligeris glutiniferis undique tecti, instructi squamula subulata unā aut alterā paulò infra florem. Calyx foliolis acutis hirtis ad carinam præsertim, laxis, angustis. Corolla magna.

$\beta.$ Hæc cum priori varietate crescit; ratione loci uidi, varians foliis solummodo glaberrimis (nervo carinali excepto) vix ac ne vix quidem dentatis; & folio caulinio magis elongato, adeoque facie Hier. cerintoid. ut non mirum, quod huc referri posse, crediderit Clariss. Hallerus. *Emend.* 3^a. Num. 255. quod ipse melius consultus separavit (*Edit.* 2^a. Num. 36.) fassus ad Hier. cerinthoides accedere proximus. Cæteroquin Varietati priori & omnino similis est.

$\gamma.$ In pyrenæis ad sylvam Salvanele descendendo ad pagum Roquefortes, inter elatiores rupes oritur. Huic caulis paulò humilior. Folia omnia angustiora; radicalia triuncialia quadriuncialia vix semi-unca lata, in petiolum dentatum abeuntia, ad apicem usque dentata, hincque vix proprio innixa petiolo, & à varietatibus prioribus (primo intuitu) longè discrepans. Rami tres, vix sesquiunciales, uniflori, biflori. Cæterū ex toto cum prioribus α , β , congrua.

7. HIERACIUM, foliis argutè dentatis, radicalibus lanceolato-oblongis acutis, caulinis sagittatis ob- CONYZÆPOLIUM, longis, pedunculis unifloris, calycibus pilosissimis laxis.

Hieracium, foliis oblongis lanceolatis hirsutis ferratis, calycibus villosis. *Hall. Edit.* 2. Num. 40.

Crepis, sibirica, (γ) *Linn. Sp.* 1135.

$\beta.$ Hieracium alpinum asperum, conyzæ facie. *Baub. pin.* 128.

Hieracium pyrenaicum (E). *Linn. Syst. nat. pag.* 524.

Et forte ejusdem varietas $\beta.$ *Linn. ibid. pag.* 523.

Hieracium Britannicum quartum. *Clusii Hist.* 2. 151.

Hieracium montanum latifolium Genevense, folio conyzæ majoris monspessulanæ. *Baub. Hist.* 1026.

Hieracium montanum latifolium glabrum. *Baub. pin.* 128. Sed villosum; ita Scheuchzerus Tom. 2. pag. 326.

NOTA. Nequit Crepidibus sociari. Habitu à Pieride pyrenaica & bieraciode non multum dissentit; differt abundè tamen foliis omnibus minutum dentatis. Folia caulinata sagittata valde, auriculis acutioribus; idque ut in Icone Morissi Sect. 7. Tab. 4. Fig. 11. licet ad aliam pertineat, seu ad Crepid. sibiricam Linnæi. Pedunculi longi, uniflori, apice (seu infra florem) tumidi, pilosatri, destituti squamulis vagis; hinc à Pieride pyrenaica diversissimum! Calyces ovati, pilis atris undequaque obvoluti (non autem ad angulos carinales tantummodo) imbricati; squamis laxis. Pappus pilosus sessilis.

Descriptio ab Hallero, Scheuchzero, Baubinoque traditæ de cætero consulendæ, ut potè accuratissime.

CREPIS.

I. CREPIS, foliis runcinato-pinnatis hirtis, petiolis dentatis. *Linn. Sp.* 1133.

FORTIDA,

$\alpha.$ Hieracium, foliis cichorei sylvestris villosis, odore castorei. *Mag. Bot.* 129.

Hieracium luteum cichorii folio, amygdalas amaras olens. *Moriss. 3. Sect. 7. Tab. 4. Fig. 4.*

$\beta.$ Hieracium, foliis pinnatifidis, hinc hastatis, pedunculis nudis longissimis. *Gmel. Sib. Tab. 8.*

Fig. 1. Optima. Pag. 22.

NOTA. $\alpha.$ Planta ubique in Gallia Narbonensi obvia, immensè varians; caule palmari, cubitali & hirsutissimo, aut vix piloso; foliis ovatis integris, aut altè pinnatifidis, erosisque. Sed radice odorem bituminosum, aut amygdalas amaras redolente, à cæteris dignoscitur.

$\beta.$ Speciosissima varietas in pascuis circa Campestre Annis 1766. 1767. à me lecta. Quam licet ad Tabulam Gmelini retulerim, dubitabam de Specie Linnæana; odore dein, Anno 1768., & seminibus in horto satis, certior factus fui de varietate Crepidis fetida. Ipso consentiente Clariss. Linnaeo in Litteris, ad squamas & pubem calycis attendente.